

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Pallis voluerum vesceris,  
Sic esculenta fumimus,  
Boùm suùmq; carnis,  
Ovesq; largitur Deus.

Er hat die Erden zugericht/  
Läßt an Nahrung mangeln nicht/  
Berg und Thal die macht er naß/  
Daß dem Vieh auch wächst sein Gras.  
Aus der Erden Wein und Brodt/  
Schaffet Gott und gibts uns satt/  
Daß der Mensch sein Nahrung hat.  
Das Wasser das muß geben Fisch/  
Die läßt Gott tragen zu Eisch/  
Eyer von Vögeln eingelegt/  
Werden junge darauß geheckt.  
Müssen der Menschen Speise seyn/  
Hirschen/ Schafe/ Rinder/ Schwein/  
Schaffet Gott und gibts allein.

Pecora multiplicantur, Gen. 31. v. 38. frumentum fructum fert, Matth. 13. v. 23. plantæ multiplicantur, hæc est benedictio Domini, quæ dat sine molestia, Prov. 30. 22. Ne proinde despondeamus animum, sed Christo confidamus, qui in diebus carnis suæ paucis panibus & piscibus quinque milia virorum pavit. Quantò magis potentiam suam demonstrabit, ad dextram Dei exaltatus? Eph. 1. v. 21. Propterea, cogitate per generationem & generationem: quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur, 1. Macc. 2. v. 61.

De Secundo.

**P**ergemus nunc ad alteram partem, *ἡ ἑξῆς* *ἡ ἐξῆς*, sive notitiam Domini nostri Iesu Christi contemplaturi. Hic nobis proponitur in præsentem Evangelio.

1. *Tanquam cibi & potus sanctificator.* Exemplum habemus in quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus, quos accepit

in manus suas & gratias Deo egit, qui eos creaverat propterea supernaturaliter illi augentur, ut non modò satiandis tot millibus sufficiant, sed & duodecim cophini fragmentorum colligantur. Sic adhuc hodie cibus & potus noster, per verbum Dei & orationem sanctificatur, 1. Tim. 4. v. 5. Ut per benedictionem Dei, nos leguminibus & aquâ magis reficiamur, quàm alii lauto atque opiparo obsonio, Dan. 1. v. 12.

Ideoq; hoc de Christo discere debemus, ut semper sive accubamus, sive de mensa surgamus, oratione cibum sanctificemus. Sive ergò manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, ait Paulus 1. Cor. 10. v. 31. Hoc non sine insigni nostrum emolumento fiet. *Mensa enim, ab oratione incipiens, & in orationem desinens, nunquam deficiet.* ut Chrysostomus ait. Sic verè dicere possumus: Dominus est pastor meus, nihil mihi deerit, bonitas & misericordia persequentur me, omnibus diebus vitæ meæ, ex Psalm. 23. v. 1. 6. Id quod bene observarunt pii veteres, hinc Tertullianus: *Non prius discumbitur, nisi oratio ad Deum prægustetur.* Imò ipsi Judæi, quando cibis fruuntur, orationem non intermittunt, Pater enim familiæ accepto pane, ait: Benedictus Dominus Deus, qui educis panem de terra. Cui reliqui respondent: Benedictus sis is, cujus cibo fruimur, ut Paulus Fagius recenset.

Idem & nos facere debemus, nihil enim à nobis ipsis habemus, sed Dei munificentia fruimur, *cujus mendici sumus*, ut Augustinus ait, Psalm. 104. v. 27. 28.

Equidem Diabolus facillè veneno cibum nostrum inficere potest, juxta illud: Mors in ollâ, 2. Reg. 4. v. 41. Quod si verò oratione devotâ cibum nostrum sanctificamus,

T  
tum

tum malitiã suam exere non poterit. Scimus enim, quod Deum diligentibus omnia in bonum cooperantur. Rom. 8, 28.

II. *Tanquam Parsimonia commendator.* Iccircò ad discipulos suos ait: Colligite fragmenta, ne quid pereat, quò ipsis ostendit *viam parsimonia*, ut Chrysostomus scribit, *welche ein grosser Zoll ist am Rhein / ut veteres dictitarunt.* Bonus enim Servatius, potest etiam esse bonus Bonifacius, ut vulgò dicitur. Nisi Josephus tempore abundantia frumentum collegisset, postea annonã ingravescente, non potuisset tam largè illud distribuere, Gen. 41, 49. seqq.

Inveniuntur homines, qui omnia bona sua abliguriunt, nihil reservantes sive fenectuti, sive morbis, quibus obrui possunt, neque liberis suis. De his dicit Paulus: Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli est deterior. 1. Tim. 5. v. 8.

Genuini Christiani meminerint paupertatis in tempore abundantia, & necessitatem paupertatis in die divitiarum, Sir. 18. v. 25. Ideò fragmenta colligunt, ut alio quoq; tempore proferre queant. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo sapientis, & imprudens homo devorabit illud, Prov. 21. v. 20. Qui nummum non curat, non pervenit ad grossum, qui grossum vilipendit, non pervenit ad thalerum, & qui spernit modica, paulatim decidet, Sir. 19. v. 1.

III. *Tanquam gloria mundana recusator.* Cum enim populus eum rapere & Regem facere vellet, fugit iterum in montem, ipse solus. Ad hæc verba Augustinus: *Fugit, quia non erat talis Rex, qui ab hominibus fieret, sed talis, qui Regnum hominibus daret.* Ideoque dicit coram Pilato: Regnum

meum non erit de hoc mundo, Joh. 18. v. 36.

Regna terrena per externa arma, gladios & hastas conservantur, Rom. 13, 4. Sed Christi Regnum non indiget externã vi, sed per verbum & sacramenta moderatur, hæc virga directionis est, Psal. 45. v. 7. Qui itaque ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47.

Regna terrena consistunt in urbibus & castellis, in quibus Reges resident. Regnum Christi in cordibus fidelium est, in quibus Christus per fidem habitat, Eph. 3, 17.

Regna terrena, Privilegia & immunitates terrenas habent, quibus subditi potiuntur. Sed Christi regnum est justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Rom. 14. v. 22.

Regna terrena suo ambitu continentur: Sed Christi regnum per totum orbem vagatur, dominatur à mari, usque ad mare; & à flumine, usque ad terminos orbis terrarum, Psal. 72. v. 8.

Regna terrena habent periodos suos, & breve tempus durant: sed Christi Regnum sempiternum est, Dan. 7. v. 27. & cuius non erit finis, Luc. 1. v. 33.

Qui itaque carnaliter affectus est, & diligit hoc seculum, 2. Tim. 4. v. 10. ab Regis hujus regno exclusus est, amicitia enim hujus mundi, inimicitia Dei est, & quicumque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituetur, Jac. 4. v. 4. In Regno Regis hujus meri spirituales thesauri & cœlestia bona nobis expectanda sunt, quæ etiam temporalia longissimè superant. Mundus enim transit & concupiscentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, 1. Joh. 2. v. 17.

Quod

Quodsi itaque peccatorum mole oppressus es, ut cum Paulo queri tenearis: Scio quod in me, hoc est, in carne meâ nihil boni habitat & c. ex Rom. 7. v. 18. seqq.

Regnum Christi non est terrenum regnum, ideò neutiquam mireris, in mortalitate hâc peccatum tibi adhærere, aliud enim regnum futurum est, ubi populus Dei omnes iusti erunt. Esa. 60. v. 21.

Quodsi inopiâ laboras, in hâc miseriarum valle, ut mulier illa de uxoribus Prophetarum, quæ nihil quicquam in domo suâ habebat, nisi lagunculam olei, 2. Reg. 4. v. 2. Regnum Christi non est terrenum, in quo affluentia terrenorum honorum sit: sed qui conregnabit, ante sustineat oportet, 2. Tim. 2. v. 12. Elegit enim Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit, diligentibus se. Jacob. c. 1. v. 5.

Quodsi maximis calamitatibus opprimeris, ut cum Jobo queri possis: Si appenderetur afflictio mea in staterâ, & calami-

tates meæ apponerentur, tunc graviores essent, quam arena maris, Job. 6. v. 3. Iterum memineris regnum Christi non terrenum esse, sed qui hâc discipulus ejus esse vult, abneget seipsum oportet, & tollat crucem suam, & sequatur Christum, Matth. 16. v. 24. Interim hoc solatium nobis reliquum est, quod momentanea levitas tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æterni gloria pondus operetur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17. 18.

Quodsi mortem exhorrescis, qui animam à corpore separat, ut tanquam à tinea consumatur pulchritudo tua. Psalm. 39, 12. Regnum Christi non est terrenum, adhuc alia vita nobis restat, in quâ mors non erit, Apoc. 21. v. 4. sed abundantia gaudiorum in vultu Dei, & delectationes in dextera ejus, in æternum. Id quod nobis largitur Deus ter Opt. Max. per Jesum Christum Dominum, & Salvatorem nostrum! Amen.

\* \*

## Dominica Judica.

*Evangeliū, Iohan. 8. v. 49. --- 59.*

### EXORDIUM.

**R**efert liber Sapientiæ, quod eo in loco, ubi olim Sodoma & Gomorha sita fuerunt, arbores crescant, quæ immaturos fructus ferunt, hoc inde ortum, quia Deus igne & sulphure has civitates delevit. Sap. 10. v. 6. Gen. 19. v. 24. His non modò terra in qua civitates hæ sitæ fuerunt, exusta & vastata est: sed cum ulavit se quoque ibidem foetens bitumen, quod adhuc hodiè urit, & mare mor-

tuum appellatur, ob venenatos vapores, ex eo orientos animalibus pariter, & avibus supervolitantibus pestiferos. Ad littus arbores visuntur, fructus ferentes, colore edulibus similes, carpentium verò manibus in fumum dissolvuntur, & cinerem, ut non modò Judaicus Scriptor Josephus: sed & ethnici, Solinus & Tacitus testantur. Vetus-  
tissimus Latinorum Patrum Tertullianus, his versibus comprehendit:

T 2 Tota